

DIE XXVI NOVEMBRIS.

IN FESTO

# S. SILVESTRI ABBATIS.

D U P L E X.

*Omnia de Comm. Conf. non  
Pont. præter sequi.*

## ORATIO.

Clementissime Deus, qui sanctum Silvestrum Abbatem sœculi hujus vanitatem in aperto tumulo pie meditantem ad erenum vocare, et præclaris vitae meritis decorare dignatus es: te supplices exoramus: ut ejus exemplo terrena despicientes, tui consortio perfruamur æterno. Per Dominum.

## In I. Nocturno.

Lectiones de Scriptura oecurrente.

## In II. Nocturno.

## LECTIO IV.

Silvester, Auximi in Piceno nobili genere ortus, statim puerilem ætatem litteris ac bonis moribus mirifice exorna-

vit. Adolescens Bononiam ad studia jurisprudentiæ missus a patre, cum sacris litteris a Deo monitus dedisset operam, parentis incurrit indignationem, quam æquo animo toto decennio pertulit. Ob egregiam ejus virtutem a canoniciis cathedralis Auximanæ ecclesiæ socius honoris electus est; in quo munere populo orationibus, exemplo et concionibus opem tulit.

## R. Honestum.

## LECTIO V.

Inter funus nobilis ejusdam defuncti, in aperto tumulo fomosi viri suique propinqui deforme cadaver conspiciens: Ego, inquit, sum, quod hic fuit; quod hic est, ego ero. Et mox, peracto funere, illa sibi Domini occurrente sententia: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et se-